

quam in potestate Iulii Caesaris devenire vellent, gladio se interfecerunt. Audiens hec Iulius Cesar pietate commotus cepit tristari et mestus esse, alios omnes fecit in vinculis detineri, et asta Iulii Caesaris sublata binos et binos subtus ipsam de planicie fecit exire; erat enim eo tempore signum servitutis Romani imperii. Quo facto omnes libere ad propria redire concessit, promittentes tamen censum statutum Romano imperio dare. Quibus ita gestis, retro iter eorum versus castra agrediens, tentoria Parthorum et omnia que in ipsis *aderant cepit et habuit et inter milites suos pari sorte divisit.

Pergens autem Iulius Cesar cum exercitu suo per Parthiam¹, civitates, castra, loca et munitiones, quas invenit, omnes cepit et occupavit et ipsa omnia sibi tributaria fecit. Accedens vero ad partes Babilonie ipsam similiter subiugavit et censuariam Romano imperio fecit et omnes nationes usque ad mare oceanum suppeditavit et sub iugo Romani imperii eas posuit. Hoc ita peracto, Iulius Cesar habito consilio a viris prudentibus, ut iter suum retro dirigeret, transeuntes per nemora et silvas et per loca arida magnis laboribus fatigati, tandem ad partes scilicet Acharon XV mensibus transactis pervenerunt; ibidem Iulius Cesar colloquium regum et aliorum virorum nobilium Romani imperii amicorum federatorum statuit et ordinavit. Ipso vero colloquio coadunato Iulius Cesar ascendens in excelso loco elevata voce cepit dicere: 'O fidelissimi amici mei et Romani imperii, o comilitones mei, viri fortissimi et prudentes, Europam et pene universam Asiam subiugavimus, Affricam vero rebellem et inimicam imperii Romani penitus illesam derelinquere debemus? quomodo in apocrisariis² urbis Rome scribi potuerit, ut universus orbis per Iulium Cesarem describeretur? Nonne scitis, [quando³] ad Galliam Transalpinam suppeditandam pereximus, responsum a diis nostris recepisse, quod universus orbis per Iulium Cesarem debet describi pariter et subiugari? Nolite *timere! omnia nobis erunt aperta, et totius Affrice reges et viri nobiles et prudentes magnitudini nostre⁴ subicientur. Capite⁵ arma bellica, estote parati victualibus et rebus omnibus necessariis'. Quibus omnibus auditis et intellectis, licet⁶ eis gravissimum videretur, tamen timentes magnitudinem eius, omnes prudentiam eius laudaverunt. Deinde amoto exercitu, iter quoque suum versus Gebuseum⁷ dirigere festinavit. Invenitque ibi viros religiosos et discretos, qui Salamonis templum diligenti cura custodiebant, conservavit autem homines ipsius terre indempnes.

1) 'parchiam' Hs. 2) So oben f. 6a; 'apocripfariis' Hs., was aus 'apocrifariis', verlesen für 'apocrisfariis', entstanden ist. 3) Fehlt Hs. 4) Es ist nicht deutlich, ob in der Hs. 'nre' oder 'üre' steht. 5) Carpite, r durch untergesetzten Punkt getilgt in der Hs. 6) 'scilicet' Hs. 7) D. i. Jerusalem; vgl. Isid. Etym. XV, 1, 4.